









1667.

23. Schroederus, Iustus Fredericus : Rebus inculpata  
24<sup>a</sup> Schröder, Iustus Fredericus : Defensio proposita  
- 25<sup>a</sup> Schröder, Iustus Fredericus : De jure proprie-  
tatis. 2 Exempl.
- 26 Schröder, Iustus Fredericus : De quinquenaliis ..
- 27<sup>a</sup> Schröder, Iustus Fredericus : De sponsionibus.  
27. Schröder, Iustus Fredericus : De votis. 2 Exempl.
- 28<sup>a</sup> Schröderus, Iustus Fredericus : Procuratio homici-  
dium. 2 Exempl. 1667 & 1715.
29. Schröder, Iustus Fredericus : De iure securitatis,  
cum inter ciues, cum inter gentes.
30. Schröder, Iustus Fredericus : De cunctis obliquis  
statu, ex quoque iuribus ac privilegiis.
- 31<sup>a</sup> Struve, Georgius Warner : Descriptio sicciorum.
32. Struvius, Scopias Warner : De acquisitione originaria.
33. Struvius, Georgius Warner : Legis commissorialis in  
vereditatibus interpretatio iuridica.



1667.

34. Struvius, Georgius Adamus : De contractibus.

35. Struvius, Georgius Adamus : De stellionata

36<sup>1<sup>st</sup></sup> Struvius, Georgius Adamus : De simulatis contractis

lens. 2 Decemb 1667 : 1748

37<sup>2<sup>nd</sup></sup> Struvius, Bartholomaeus : De iuri's & chinc  
forestariorum.

38. Trinckhusius, Georgius : De illicito venenatorum  
armorum in bello usu, utissimum de hostiis per  
venenatum putationem occidione, de qua praelestis  
ac incantacionibus bellicis agitur.

39. Weigelius, Bartholomaeus : tractatione status.





1667, 31629  
13

DISSERTATIO IURIDICA INAVGVRALIS,  
DE  
**SCHRIEFTSASSIIS.**

GERMANIS:

Vom Ursprung, Recht, Freyheit und Gerichtsbarkeit  
der Schriftsassen/ auch dem Unterscheid zwischen  
den Amtssassen.

Q V A M

S V B P R A E S I D I O

ILLVSTRIS NOMINIS IENENSIS ICTI

**GEORGII ADAMI STRVII,**  
HAEREDITARII IN Uhlstädt,

P R O L I C E N T I A

S V M M O S I N V T R O Q V E I V R E H O N O R E S D O C T O R A L I A  
M O R E M A I O R V M C A P E S S E N D I ,

E R V D I T O R V M E X A M I N I S V B I E C I T

**ANDREAS FRAVENDORFF,**

N U M B U R G E N S I S ,

A . O . R . C I O I O C L X V I I . D I E X X I X . I V L I I .




N V N C V E R O O B A R G U M E N T I G R A V I T A T E M A C U T I L I T A T E M ,

I E N A E ,  
R E C . L I T T E R I S I O . B E R N H . H E L L E R I , 1 7 4 8 .

CHRISTIANUS

IVANUS

IVANUS



I. N. D. N. I. C.

CAPVT I.

D E

NOMINE, NATVRA ET ES-  
SENTIA SCHRIFTTSASSIORVM.



ocem SCHRIFTTSASSII esse  
compositam à Schrift &  
Sassett facile quisquis intel-  
ligit. Quod simplicem vo-  
culam Sassett attinet, à se-  
dendo eam derivari in pro-  
patulo est. Sedere porro in vernaculo est propria  
DOMICILII vox, quod Latine RESIDERE dici-  
mus: Hinc formulæ Germanicæ: Sich an einen  
Orth sezen, seinen Sitz wo nehmen, häuflich nie-  
derlassen, einen Ansitz wo haben. Latinis: SE-

A 2

DEM

**D**EM PONERE, FIGERE alicubi. Nec tamen perpetuo domicilium includit, sed & nudam rei **P**POSSESSIONEM in aliquo loco sine domicili constitutione in eodem denotat: ita dicitur quis gesessen, angesessen, etiam qui immobilia solum alicubi, veluti agros possidet, licet alibi habet.

Hæc utut levia sint atque aperta, neque ulla demonstratione indigeant, non posthabenda tamen fuere.

Ex his enim conficitur, **S**ASSIVM, liceat ita loqui, vi vocis dici eum, qui aut residet actu alicubi, aut saltem res immobiles ibidem possidet.

Residentia ergo actualis in aliqua ditione aut civitate constituit ibidem **D**O **M**ICILIVM.

Si quis vero actu non residet alicubi, habet tamen prædium & ædes, in quibus residere posset, tunc et si non actu habet domicilij jus, per *l. libertus. 17. §. sola domus. 13. ff. ad municip.* tamen potentia, & sortitur **J**VS **C**IVITATIS in illo loco, si ve **S**STATVS **A**T<sup>Q</sup>VE **O**RDINIS: Quos enim Romani **C**IVES alicujus Provinciæ aut Reipubl. vocant, hi nostris moribus, præsertim Saxonici, **S**STATVS **A**T<sup>Q</sup>VE **O**RDINES, **S**tadtde, appellantur, & civium nomen Municipibus aut subditis civitatum fere remansit.

Tan-

\* ) 5 ( \*

Tandem possessio sola immobilium sine  
commoditate & jure domicilii, licet neque forum  
domicilii; neque necessario Jus Status aut civita-  
tis tribuat, confert tamen SUBIECTIONEM, & fo-  
rum saltem RATIONE REI SITAE, & facit SUB-  
DITVM SECUNDVM QVID.

Denique omnem SASSIVM esse SUBDITVM  
ejus Jurisdictionis & Territorii, in quo residet, aut  
saltem possessionatus est, itidem hinc constare ar-  
bitror. Conf. Magnif. Dn. Richteri JCTi & Ordinarii  
in Illustri hac Salana eminentissimi Dn. Pa-  
troni & Praecept. omni obseruantiae cultu devene-  
randi Tract. de Signif. Adverb. Adverb. Immediate.

Illorum autem quos Sassios vocare ausi su-  
mus, varia præterea genera, pro varietate Territo-  
rii, respectu cuius tales sunt, existunt. Et ut alias  
Regiones non moramur, ita de Imperio nostro  
Romano-Germanico modo sumius solliciti. In  
eo Territorium primo omnium UNIVERSALE est  
Imperatoris & Imperii der Reichs-Boden, ejus-  
que ratione dici posset eum Reichs-Sasse, qui im-  
mediate sub Imperio sedet, IMMEDIATUS Imperii  
SUBDITVS, quales sunt Nobiles Liberi, in Fran-  
onia, Svevia, & ad Rhenum, de quibus Besold.  
Thes. Pract. Voc. Freye Reichs-Ritterschafft, Ma-

gnif. Dn. Strauch. JCtus & Syndicus Reip. Brunovicensis primarius *Dissert. de Statut. à Summo Princ.*  
*Thef. 7.* Et omnes Imperii Status sive Cives.

Deinde Territorium competit PARTICVLARE cuivis Imperii Statui, & voce Land solet efferri, ab eo denominantur die Landsassen, h. e. SVBDITI PROVINCIALES, qui subsunt Statui Imperii, der Landes-Obrigkeit, & hinc ratione Imperii dicuntur SVBDITI MEDIATI, gemittelte vult Adel, Besold, *Thef. Pract. Voc. Landsäß.* Dn. Carpzov.  
*Part. 1. Defin. Eccles. 3.*

Describitur quidem Landsassius communiter ex Gylmanno, quod sit homo Jurisdictionalis, cui in omnibus mandari & præcipi possit, Caspar Ziegler. *ad Aur. Prax. Nicol. Calvoli. §. Landsassii. conclus. 1. n. 14.* Sed hanc descriptionem minus accuratam esse, & tantum formam genericam continere arbitror, adeoque etiam prædicari posse de Subditis infimi ordinis, Unterthanen oder Unterassen, quod admodum ridiculum foret.

Quare Landsassium ex usu & moribus hodiernis, imprimis nostrarum Provinciarum Saxoniarum hic eum intelligo subditum, qui gaudet aliqua dignitate & potestate sive jurisdictione. Besold. *Thef. Pract. Voc. Landsäß. §. Et licet Landsas-*  
*sii.*

\* ) 7 ( \*

ſu. Dominus Limnæus de Jure Publ. Lib. VI. Cap.  
4. num. 3.

Porro Territoria Statuum pro libitu in ultiores partes subdivisa cernuntur, sumprimis vero in CIRCVOS vel PRAEFECTVRAS, Creyse und Aemter: In quibus iterum alia prædia majora & castra cum jurisdictione in subditos, Landsäßige Güter; alia minora absque jurisdictione & dignitate, Bauren-Güter. Non omnes enim Subditi sive possessores prædiorum in territorio sitorum, ut iam monuimus, sed tantum Majorum sive Landlassicorum dicuntur Landlassii: Ex eo Landassii sub Praefectorum jurisdictione dicuntur Amtfassen, die unter den Aemtern ſitent, & Praefectis subsunt.

Cum denique Status Imperii quosdam Landassiorum certis ex causis jurisdictione Praefectorum exemerint, & sibi aut Regimini suo immediate subiectos esse voluerint: Hinc orta est altera Landassiorum species, qui vocantur die Schrifft- oder Ganzley-Sassen, Besold. Thes. Pract. voc. Amt-Sassen, & voc. Schrifft-Sassen. Sunt autem SCHRIFFTSASSII nihil aliud quam Landassii immediate Jurisdictioni Domini Territorialis ejusve Curiae subjecti. Forma ergo & Essentia eorum

con-

consistit in IMMEDIATE SUBIECTIONIS, atque hac ratione differunt ab Amtiassis. Ratio de nominationis petita est ab effectu, nempe à jure illo & prærogativa, ut iis nonnisi scriptis præcipiantur: et si enim alias generatim Nobiles scriptis citandi per l. 17. §. 1. C. de dignitat. lib. 12. ibique Dn. Brunnem. §. ad privativa. n. VI. cum allegatis. Dn. Lipp. de Jur. Publ. Lib. VI. Cap. 4. n. 43. non tamen omnes Rescriptis Principum, sed quidam eorum præceptis Præfectorum tenentur parere. Vox itaque Schrift in hoc nomine & quando dicuntur us Schrift sizen, Ordin. Provinc. Electoris Mauritii, de Anno 1543. quæ habetur Corp. Nov. Sax. pag. 31. accipitur PRESSE & κατ' εξοχήν pro Rescripto Domini vel Curia Langley-Schrift, Ober-Hofgerichts-Ordin. Tit. Wer vor das Ober-Hofgericht mag geladen werden, ibi: die den Alemterii nicht unterworffen, die keinem Amte zugehan, soudern die auf sonderliche Schrift unser Langley sizen, Corp. Nov. Sax. pag. 131. Unde etiam dicuntur Langley Schrift-Sassen, Ordin. Prov. C. N. S. pag. 43. c. Nec non Elector Ernestus & Albertus, Fratres & Duces Saxonie, in prima Ordinatione Provinciali, quæ habetur impressa de Anno 1482. C. N. S. pag. 11. eleganti & notabili utun-

utuntur periphrasen in fine ejus dicentes : Allett  
Prälaten, Grafen, Herren, der Ritterschafft,  
den Städten, und unsern Amtleuten, als desß  
Herkommen, und den wir in andern Sachen zu  
schreiben pflegen.

Emanant itaque ad Schriftissimos solum Re-  
scripta immediate à Princepe, sive Princeps aut Can-  
cellaria ejus nomine iis imperitat, quod contra sit  
in Ambiſſiis, qui Toparchis Præfectis vel Quæ-  
storibus subjiciuntur & præceptis eorum parere te-  
nentur, Andr. Knichen. *de vestitur. paction. Part. 2.*  
*Cap. 5. n. 1. 2. 3. Id. de Sax. non provoc. jur. Verb.*  
*Ducum. Cap. 6. num. 23. & ex eo Calp. Ziegl. ad*  
*Aur. Prax. Nic. Calvol. §. Schriftissi.*

Quando autem distinctio hæc nata sit non  
convenit inter Doctores, & fortassis infra pluribus  
agetur : Ex allegata tamen *Ordinatione de Anno*  
*1482*, patet, eam satis antiquam esse. Sequitur  
nunc

## CAPVT II.

DE

## MATERIA SEV OBIECTO.

**M**ateria, cui Jus Schriftissatis inhæret, tan-  
quam subjecto accidens, regulariter est  
B præ-

prædium vel castrum, vel oppidum, vel alias locus  
 & pars Territorii IMMEDIATE Domino territoria-  
 li subjecta, eis Schriftsäciger Orth ; Tales sunt  
 in nostris Provinciis Saxoniciis URBES vel OPPIDA,  
 Schriftsäcige Städte, CASTRA & FEUDA  
 NOBILIVM, Ritter-Güter, nec non PRAELATV-  
 RAE & COENOBIA, geistliche Güter, quo etiam  
 ACADEMIAE pertinent, Dn. Carpz. Proc. Civ.  
 Tit. 2. Art. 2. n. 164. & seqq. ubi in primis prærogati-  
 tam Academiæ Lipsiensis laudat, quod nempe in  
 ea singulæ quoque Facultates pro Schriftsäcissiis ha-  
 beantur, conf. Eund. Part. 2. Defin. Eccles. 204.

Sed & COMITES, BARONES & DYNASTÆ possidentes Präfecturas vel Dynastias sub  
 Territorio Principis inter Schriftsäcios numeran-  
 tur, licet aliasterras sub Imperio immediate etiam  
 possideant, ut patet ex Matricula Curie Lips. de An-  
 no 1609. Magnif. Dn. Richter. Tr. de Signif. Ad-  
 verb. Adverb. Immediate. Casp. Zieg. §. Land-  
 sasf. concl. 1. n. 23. Sic PRAEFECTI & QVAESTO-  
 RES ratione Präfecturarum suarum sunt Schrift-  
 sassi. Dn. Carpz. Proc. Civ. Tit. 2. Art. 2. n. 127.  
 Interdum etiam AEDES solæ in oppidis, Freyhäu-  
 ser, Schriftsäcitate privilegiata cernuntur.

Dixi REGULARITER inhærente Rei, hinc pa-  
 tet,

tet, Jus hoc non inhærente personæ, tanquam Jus personale, sed Rei velut Jus Reale. Hinc in *No-  
vissimis Resolutionibus Provinc.* dicitur : *Die  
Schriftsäigkeit wird us die Güter erlanget. C.  
N.S. pag. 89.* Etsi enim videtur cohærente personæ, & per consequens esse Jus Personale : tamen Schriftsassitas & Jurisdictio perinde se habent, ea cohæret quidem personæ Magistratus secundum quid, i. e. respectu exercitii ipsius jurisdictionis, sed universaliter cohæret subjecto territorio, cuius latitudinem & longitudinem non egreditur, sunt verba Franc. Zoannetti *Tr. de Emt. & Vend. sub  
pac*t*. retrovendit. n. 207.* ubi & Bartolum hanc in rem allegat, dicentem ; quod omnis jurisdiction ordinaria territorio cohæreat. Quæ assertio nostris moribus, ubi Jurisdiction Patrimonialis redditia fuit, verissima est : *Velut Ziegler. ad Calvol. §.  
Schriftsassi*n. 7.* autore Baldo explicat, jurisdictionem in persona jus dicentis active, in territorio sive loco subjecto passive & materialiter inhærente, Welenb. Parat. de Jurisd. n. 10.* Ad eundem igitur modum etiam Schriftsassitas prædio feudo feudove inhæret, atque ex ejus possessione denominatur Schriftsassius. Sic per nobilis feudi investituram nobilitas ejus & ipsi rei quodammodo inhærentia

jura, quae semel ei accommodata sunt conferuntur, licet ignobilis teneat, & ignobile feudum, quamvis a nobili possideatur, plebejum manet. Magnif. Dom. Struvius, Jctus, & in Illustri Salana Antecessor celeberrimus, Praeceptor itidem & Praeses aetatem devenerandus *Syntagma. Jur. Feudal.* Cap. 3. aph. 8.

Est tamen ubi SOLIVS OFFICII intuitu & crita possessionem bonorum immediate subjectorum Curiae Principalis, SCHRIFFTSASSITAS certatur, ut in OFFICIALIBVS IMMEDIATIS, quibus nulla bonorum immobilium immediatorum administratio commissa: Quae tamen species Schriftsashatis personalis, non est species Landstasitatis seu subjectionis Realis, nec tales sortitur effectus.

### CAPUT III.

## CAVSA EFFICIENTE.

**H**aec tenus de Causis Schriftsasitatis internis, consequens est ut de Externis dispiciamus: Efficiente nimur atque Finali. Causa igitur Schriftsasitatis Principalis est SUPERIORITAS

TER-

**TERRITORIALIS:** Dominus enim Territorii pro lubitu illud in alias particulas partiri, iisque modo hanc, modo illam qualitatem tribuere potest, statque in ejus arbitrio, numquid immediate sibi Landsassum subesse velit, nec ne. Quod tamen semel admissum in Landsassii praedictum mutari non debet.

**MODVS** ergo Schriftlassitatem acquirendi **PRIMVS** est **VOLVNTAS** sive **CONCESSIO DOMINI TERRITORIALIS:** Quamprimum enim Dominus alicui castrum vel feudum cum ejusmodi qualitate concedit, eo ipso acquisitione facta censetur, conf. Magnif. Dn. Praefid. *Syntagma. Jur. Feud.* Cap. 7. apb. 11.

**CONCESSIO** autem vel est **EXPRESSA**, & fit  
 1. **SIMPPLICITER & ABSOLVTE**, quando Dominus Territorii disertis verbis formalibus Landsassio Schriftlassitatem impertitur ejusque feudum cum omnibus pertinentiis, jurisdictioni Praefectorum propositus & exasse eximit. 2. **SVB MODO ET CONDITIONE**; Alii enim **SECUNDVM QVID** constituntur Schriftassii, quorum feuda tantum ex parte jurisdictioni Praefectorum eximuntur, ex parte adhuc subjecta manent, veluti quodam Jus collectatum, sequelæ, & simillimum; Atque ex hac

ratione discriimen ortum SCHRIFFTSASSIORVM  
 VETERVM & NOVORVM IN THVRINGIA, impri-  
 mis PRAEFECTURA FRIBVRGENSI: VETERES  
 enim sunt simpliciter exempti, & in pagis iplorum  
 Præfectis nihil quicquam competit, Novi ex par-  
 te tantum, ubi Præfecturis quædam reservata fuere:  
 Rursus QVIBVS DAM Schriftlassitas tanquam  
 PERSONALE PRIVILEGIVM und nur auf ihre  
 Persönn, respectu cuiusdam feudi concessa est, quæ  
 cum persona etiam exspirat, & successores & here-  
 des hoc jure non gaudent, sed res ad pristinum sta-  
 tum postmodum redit. Quæ omnia ex LITERIS  
 CONCESSIONIS VEL OBSERVANTIA cujusque  
 loci interpretanda veniunt, nec certis & determi-  
 natis regulis comprehendendi possunt.

Vel TACITA: Nam concesione Jurisdictionis  
 omnimodæ, & simili facto, concessa etiam  
 videtur Schriftlassitas, unde & Conductores Ju-  
 risdictionis Altæ pro Schriftlassis ex more & con-  
 suetudine reputantur: castro tamen, civitate aut  
 pago vel simili concessio non statim etiam concessa  
 intelligitur jurisdiction, sed re ipsa distincta manent,  
 ita ut, licet alius jurisdictionem habeat, possit quis  
 pagum, & alia ejus emolumenta habere, prout  
 docet cum Knichenio jam laudatus Magnif. Dn.  
 Præles

Præses *Syntagma. Jur. Feud.* Cap. VI. aph. 10. num. 4.  
nisi neque ex specialibus neque ex generalibus ver-  
bis investituræ appareat, Jurisdictionem simul col-  
latam esse, Dn. Struv. d.l. Menoch. lib. 3. præsumt.

98. Imprimis autem quæritur hic: num castro  
vel prædio in genere & absolute cum jurisdictione  
in feudum concessu, intelligatur etiam concessa  
jurisdiction superior, die Obergerichte, Halsge-  
richte? Quod rectissime negat Magnif. Dn. Præ-  
ses d. C. VI. aphorism. 18. num. 4. Quamvis enim  
jurisdictionis appellatio videatur esse generalis,  
generaliter autem dicta generaliter intelligi debe-  
ant: quia tamen singularis illa species ob magis  
graves & arduas quas continet causas, speciale  
requirit concessionem, argum. l. i. de offic. ejus cui  
mand. ideo in dubio solum videtur concessa infe-  
rior. Et hanc sententiam quoque fovet Domin.  
Carpz. Disp. Feud. 4. Tb. 24. Videtur quidem ab  
eadem *Jurispr. Forens.* Part. 2. *Const.* 40. *Def.* 6. &  
*Prax. Crimin.* P. 3. quest. 109. num. 89. rursus abire;  
Sed puto hoc modo eum conciliari posse. Nam  
in allegatis locis prælupponit, quasi non simplex  
concessa esset jurisdiction; sed etiam plena sive o-  
mnimoda, quod ex annexis præjudiciis appetet,  
maxime in *Prax. Crimin.* ubi JVRISDICTIONVM

her

der Gerichte in PLVRALI facit mentionem, laudatque literas vestiturarum, quæ indefinita æquipolleat huic propositioni, omni sive plenariæ jurisdictioni : Hinc in d. Disp. Fend. statim hanc subjicit limitationem, lecus esse, si Princeps dixerit : *Wir belehnen dich mit diesem Flecken, samt allem Gerichte, vel : Wir belehnen dich mit diesem Flecken, samt aller Obrigkeit, quibus verbis omnimodam jurisdictionem intelligit, & sic contrarietas quodammodo dilueretur.* Contrariis argumentis satisfacit prolixe Menoch. lib. 3. præsumt. 97. n. 15. seqq. Knichen. de vestit. part. P. 2. Cap. 1. num. 59.

De caetero, utrum jurisdictionio per feudum collata, privative an cumulative concessa censematur : à Doctoribus confuse & perplexe disquiritur ; Sed solidius cum Magnif. Dn. Praeside d. C. VI. apb. 18. n. 6. statuitur, convenientius dici, quod nec privative nec cumulative sed subordinate concedatur jurisdictionio, quae subordinatio cessat, quando Princeps, causa ad ipsum delata jus dicit.

ALTER MODVS acquirendi Schriftlassitatem est PRAESCRIPATIO : Ad eam autem requiriatur. Possessio alicujus feudi sub qualitate Schriftlassitatis, sine possessione enim nulla praescriptio

con-

contingere potest, l. 25. ff. de usurpat. & usucap.  
 quae possesio inducitur, si quis se ratione feudi,  
 quod possidet, pro Schriftsassio gerat. 2. Requi-  
 ritur continuatio ejusmodi possessionis de Jure Sa-  
 xon. per 31. annos, junctis 6. hebdomadis, & tribus  
 diebus, Dn. Carpz. P. 2. Conſt. 3. Def. 3. Jure qui-  
 dem Feudali Sax. etiam tantum 30. annorum pre-  
 scriptio dicitur frequentari, Magnif. Dn. Praefes  
*Syntagma. Jur. Feud. C. VIII. num. 3.* Sed quia  
 Schriftsassius non ex Jure Feudi, sed ex Jure Ter-  
 ritorii aestimandus, & quia jus est, ideo non im-  
 merito ut caetera jura & actiones Jure Sax. praescri-  
 bitur: Sic & Revocatoriam non nisi 30. annis, an-  
 no & die praescribi, ex Carpzov. P. 2. C. 50. Def. 5.  
 monet praelaudatus Magnif. Dn. Praefes *Synt.*  
*Jur. Feud. C. 13. apb. 18. n. 1.* si enim à Praefecto ci-  
 tatus aut requisitus ejusmodi feudi possessor ei  
 contradicat, & se ceu immediate subditum agat,  
 idque toties quoties occasio eveniat, legitime con-  
 tinuet, tunc præscriptione tutus erit, Knichen. *de*  
*vestit. pacz. P. 2. Cap. 5. num. 2.* Ziegler. *ad Calvol. §.*  
*Schriftsassii, concl. 1. in fin.* quod tamen vix fieri  
 posse Knichen. d. l. autumat. 3. Requiritur secun-  
 dum Jus Canonicum, quod uisu observatur bona  
 fides, & quidem tam initio quam progressu præ-

C

scriptio-

scriptionis, cap. 5. & ult. extr. de prescript. Hęc tamen bona fides præsumitur ex cursu dicti temporis per l. ult. C. unde vi. Heig. P. 1. Quæst. 16. n. 56. & allegans malam fidem probare eam debet, Magnif. Dn. Struv. Synt. Jur. Feud. C. VIII. apb. 12. n. 13. Dn. Carpz. 1. Resp. 84. n. 22.

CAPVT IV.  
DE  
CAVSA FINALI ET  
ORIGINE.

**C**ausa introducet hujusmodi differentia Land-  
sässorum valde diversa suisse videtur. Præ-  
cipuum autem existim. DIGNITATEM PRINCI-  
PIIS: Namque habere Subditos non promiscue  
plebejos homines atque rusticos, sed etiam digni-  
tate atque potestate aliqua prædictos, auget certe  
dignitatem Domini. Hinc dicit Tacitus libell. de  
Morib. Germanorum: Principes plurimos & acer-  
rimos, comites habuisse. Hęc dignitas, ha vires,  
magno semper electorum juvenum globo circumdari,  
in pace decus, in bello præsidium. Nec solum in sua  
gente cuique, sed apud finitimas quoque civitates id  
nomen, et gloria est, si numero ac virtute comitatus  
emi-

*emineat : & paulo post de illis comitibus inter alia  
haec scribit : Infame in omnem vitam ac pro brosum,  
superstitem Principi suo ex acie recesisse. Illum de-  
fendere, tueri, sua quoque fortia facta gloriae ejus as-  
signare, præcipuum sacramentum est. Principes  
pro victoria pugnant, comites pro Principe.*

Refert porro maxime, eos sibi potissimum  
clientes devincire, quorum virtute Provinciam sua  
am continere in fide Princeps potest, aut benejam  
meritos gratia ac privilegio adaugere. Vid. Sigon.  
*Annal. Carol. M. Lib. 7. Ann. 973.*

Deinde expedita autoritatis obtinendæ ratio  
est, si Princeps non promiscue ad omnes rescribat,  
& nomen suum ubi vis vulget : Ut enim haud de-  
corum est Principi, omnibus esse affabilem, sed  
discrimen in eo habendum, cum omnino abstra-  
ctione quadam opus iis qui gubernant, & ne nimis  
se vulgent Schönborn. *Polit. lib. 2. Cap. 28. Lipsius*  
*2. Polit. Cap. 16. n. 10. & lib. 4. Cap. 8. n. 9. & maje-  
statis major ex longinquō reverentia. Tacit. 1. An-  
nal.* Ita etiam in Rescribendo observandum est  
discrimen, ne Principis nomen in contemptum  
abeat.

Tandem cum Principis humeris totum regni  
negotium incumbat, & magnis latis & gravibus o-

nuslus sit curis, expedit, ut sublevetur Princeps nonnullis negotiis, inconsultum enim videtur omnibus ac singulis immediate, & quibusvis in causis jus velle dicere, & ad eos recribere, quod exemplo Mosis patet *Exod. XVIII.18.* & omnium pene Principum. Quæ etiam causa est constitutorum Tribunalium Provincialium, ut videlicet molestiarum judicialium sarcinae Principi minueretur. Berlich. i. *conclus. 3.18.*

Denique non solius Principis sed & subditorum gratia hoc inventum, ut quidam eorum participes fierent jurisdictionis & administrationis Reip. quo Leges & jura Patriæ, & Libertas Germanica eo minus minueretur. Hinc in plerisque ferme Germaniae Provinciis ejusmodi discrimen videre est, licet alio atque alio exprimatur nomine, conf. Dn. Limn. de *Jur. Publ. Lib. VI. Cap. 4.*

Origo autem hujus differentiæ valde in bivio ambiguæque disquisitionis est, nec convenit de ea ut *sapra Cap. I. dixi*, Doctoribus: Alii enim alias ex cogitationes & occasiones. Knichen. *de pact. vestit. P. II. Cap. V. num. 6.* existimat, Principum destinatione coepisse, prilco siquidem ævo tot hostiis incursionibus & diffidationibus pullulantibus, Praefecturis pro re nata prospiciendum fuisse, ut Nobis

Nobiles ad requisitionem Praefecti succurrerent, unde difficilioris quosdam redditos fuisse conditionis, qui & Domino & Praefectis parere hoc modo coacti sunt. Ex hac sententia Knichenii sequetur, differentiam hanc successu temporis irrepsisse.

Alii discrimen in eo ponunt, quod Nobiles quidam prædia rustica sub Praefecturis ita acquisierint, posteaque qualitati feudali subjecerint, quæ tamen jurisdictioni Praefectoriae subtrahi nequiventre: Unde porro factum, ut Nobiles alii prædia ista acquirentes Praefectoriae jurisdictioni ac imperio se subjicerint, Casp. Ziegler. *ad Prax. Aur. Nicol. Calvol. §. Schriffis asfū. n. 4.* Dn. Carpzov. *Process. Civil. Tit. II. Art. II. n. 160.* Quod tamen non placet laudato jam Knichenio. Sed cum ab initio hujus capitulis dixerim, causam potissimum hujus differentiae Dignitatem Principis fuisse, ita facile conjici potest, ex nutu etiam & voluntate Domini pependisse, quibus hanc praerogativam concedere, & quos jurisdictione Praefectorum eximere voluerit: Manet ergo ex gratia aliisve certis de causis quosdam praesertim benemeritos & dignitatis splendore eminentiores hoc jure donatos & Praefectorum jurisdictione exemptos fuisse, quia

generosæ mentes Præfectis interdum duris & morosis parere impatientes extiterunt. Sicut autem jus hoc regulariter Rei inhæret, (*supra Cap. II.*) ita originem & distinctionem hanc simul etiam cum feudis natam & quibusdam statim cum prædiis illud jus concessum fuisse, arbitror, vide quoque Magnif. Dn. Præsid. Syntagm. Jur. Feud. Cap. I. aph. 3. & Cap. VI. aph. 10. n. 5. Præterea apparet ex prima allegata Ordin. Provinciali de A. 1482. *supra Cap. I.* eam differentiam satis antiquam esse. Sufficiat interim cum Dn. Carpzovio Proc. Civ. d. I. de vero & genuino Schriftsassiorum significatu constare.

## CAPUT V.

DE

**EFFECTV ET QVAE SCHRIFT-  
SASSIIS PLERVMQVE  
COMPETVNT.**

**E**ffectus proprius Schriftsassiorum primo se prodit ex Forma & Essentia eorum, & consistit in Exemptione à Jurisdictione Prælectorum vel aliorum Magistratum inferiorum. Hinc nullus Schriftsalius iubet jurisdictioni Prælectorum: Ratio

Ratio ex antedictis satis constat, quia immediate  
 subest jurisdictioni Domini Territorialis, sortitur  
 que primam instantiam in aula & Cancellaria Do-  
 mini, ibique conveniri, neque ad Praefecturas tra-  
 hi debet, *Ordin. Provinc. Elect. Maurit. de Anno*  
*1550.* quæ habetur *Corp. Nov. Sax. p. 31. Ordin. Ap-*  
*pell. Tit. Wer vor unser Appellation Gerichte gela-*  
*den, in pr. Welthe als Cantzley- und Schrift-*  
*Sassen ohne das vor Uns und Unsern zur Regie-*  
*rung verordneten Räthen zu stehen schuldig seyn,*  
*Dn. Carpzov. Proc. Civ. Tit. II. A. 2. n. 162.* Hinc  
 dicit Casp. Ziegler. *ad Aur. Prax. Nicol. Calvol. §.*  
*Schriftsassu conclus. 1. in hoc consistere formalem*  
 & specificam Nobilium ita separatorum differen-  
 tiā. Et cum Judicia Curialia concurrentem  
 cum Aula habeant jurisdictionem expeditum inde  
 redditur in Curiis quoque Provincialibus instanti-  
 am Schriftlassiorum primam fundatam esse, Dn.  
 Carpzov. *d. l. n. 163.* Berlich. *z. conclus. 3. num. 7.*  
 Caspar. Ziegler. *ad Aur. Prax. Nicol. Calvol. §.*  
*Schriftsassu conclus. 2. n. 1.* Quam concurrenti-  
 am jurisdictionis quoque habet Reverendissimus  
 & Serenissimus Dux Mauritius, Dominus meus  
 clementissimus quoad Schriftlassios Electorales  
 Voigtlandicos, qui sub Praefecturis ipsius degunt,

ex

*ex peculiari Recessu.* Porro non solum Schriftsassii, sed & eorum liberi coram Curis convenientur in prima instantia, et si Parentes jurisdictione gaudeant, quia cum Patre pro una habentur persona, & vivo etiam Patre quodammodo rerum paternarum domini existimantur, adeoque etiam jurisdictionis, l. 11. ff. de liber. & posthum. Par autem in parem non habet imperium, l. 4. ff. de arbitr. Modest. Pistor, quast. 169. Matth. Steph. de Jurisdic. lib. 1. cap. 1. n. 73. Ziegler. ad Cal vol. §. Schriftsassii. conclus. 2. in fin. & §. Nobiles. concl. 1. n. 14. Quanquam autem Curiae Provinciales concurrentem cum Aula & Senatu Appellationum habeant jurisdictionem, & coram iis ratione Schriftsassiorum prima instantia fundata sit, ab earundem tamen jurisdictione quidam speciali privilegio eximuntur, quali privilegio & immunitate, ut in judicio Curiali Lipsiensi non cogatur comparere & litigare, Senatus Schneebergensis gaudet, Berlich. 1. concl. 3. n. 16. Ziegl. §. Schriftsassii. conclus. 2. n. 9. Quod privilegium Exemptionis Senatus Annabergensis quoque habere dicitur.

Dixi : Nullum Schriftsassium subesse jurisdictioni Præfectorum : Hæc tamen assertio declaranda est secundum differentias Schriftsassiorum,  
de

de quibus supra Cap. III. qui enim per omnia & ex  
asse sunt immediati, hi quoque exesse sunt exempti:  
contra qui tantum ex parte immediati, simili mo-  
do etiam exempti & ex parte adhuc subjecti sunt:  
Deinde intelligenda ea de jurisdictione ordinaria:  
namque per viam Commissionis utique jurisdictioni  
Præfectorum subjiciuntur, sed delegatae, nisi  
per pacta conventa etiam ab hac tali jurisdictione  
sint exempti, quale pactum inter Reverendissimum  
& Serenissimum Dn. Augustum Administratorem  
Arch-Episcopatus Magdeburgensis & Schriftlassos  
Præfecturarum Weissenfelliensis & Friburgen-  
sis intervenisse dicitur, ne illi per modum delegatae  
jurisdictionis ad Præfecturas trahi debeant, nisi ipsi  
velint. Quantumvis ergo non subsint Præfectu-  
ris, ad eas tamen refertur INCORPORATIO, die Be-  
zirkung in gewisse Aemter; Regulariter enim vi-  
cinæ Præfecturæ adscribuntur, & in Schriftlassos  
Ambclassiosque dividuntur, quod patet ex Man-  
dato de duellis Elect. Job. Georg. I. de Anno 1653.30.  
Junii, in fine: Wie wir dann unsern Obern  
Haupt- und Ambts-Haupt-Leuten, daß sie dieses  
unser general Patent jegliches Orts einbezirkten  
Schrift- oder Ambt-Sässigen von Adel, und an-  
dern gewöhnlichen Brauch nach publiciren, Corp.

D

Nov.

*Nov. Sax. p. 256.* & ex omnibus ferme Ordinationibus Provincialibus : Ethoc sane de iis Schrifttassii, qui ex parte jurisdictioni Praefectorum adhuc subjecti sunt, ut Schrifttassii Novi in Thuringia dubitationem nullam recipit ; Sed quod & isti, qui Praefecturis nullo modo parent, istarum tamen uni certæ accenseantur, rationem eamputo, quod intra fines istius præfecturæ sium sit plerumque feudum illud Schrifttassicum, adeoque in præfectura sit, quamvis non de præfectura, si licet ita imitari Dd. vulgarem distinctionem in & de territorio esse, præterea fortassis olim etiam jurisdictioni ejus fuit subiectum, postea vero Exemptionem natum est : Accedit & altera ratio ex Fine oriunda, ut certus sit Executor & Exactor Mandatorum & Decretorum Domini Territorialis. Etsi enim Schrifttassii immediate subjecti sunt Domino ejusque Curia, tamen non ipse aut ejus Curia exequitur Mandata & sententias ; sed illud fit per aliquem Executorem mediatum, tanquam Commissarium, cui etiam præterea cognitio causæ, inspectio ocularis & alia negotia circa Schrifttassios committi necessitas postulat, *Dn. Carpz. Proc. Civ. Tit. II. A. III. n. 7.8. conf.* etiam Perquam Generosi *Dn. à Seckendorff. Cancellarii Saxo-Numburgici*  
Emi-

Eminentissimi, & Patroni mei magni, Teutschell  
Fürsten=Staat Addit. ad Cap. 2. §. 8. quem in fi-  
nem & pro majori dignitate Schriftlassiorum con-  
stituti cernuntur præter Præfectos etiam Capitanei  
Circularis Creyß = oder Lands = vel Ambts=  
Haupt=Leute ex Nobilibus. Hæc tamen ratio ad  
eas tantum pertinet provincias, quæ in Præfecturas  
partitæ sunt.

Gaudent autem I. Schriftlassii hac dignitate,  
ut iis à Principe ejusve Curia immediate rescriba-  
tur & insinuetur, hac enim prærogativa pollent  
præ Ambtsassisi, ex quo etiam in nuperis diætis  
Provincialibus conquesti sunt, quasi Mandata ad  
Præfectos emissæ, & nulla differentia Schriftlassi-  
orum & Ambtsassiorum observata fuisse, Vid.  
Neue Land=Tags Erledigung, Tit. Von Justitiæ=  
Sachen, §. 61. Hinc etiam Schriftlassiorum in  
Mandatis & Pragmaticis Sanctionibus expressa sit  
mentio & ad eos simul expresso nomine dirigitur  
Mandatum, ut videre est Mandato von Einspenni-  
gen und Herrenlosen Rnechten in Ord. Prov. 1555.  
Corp. Nov. Sax. p. 43.

II. Competit Schriftlassiis jus condendi &  
renovandi statuta, sic videmus urbibus Schrift-  
lassicis hoc jus indultum fuisse ex Ordinat. Prov.

*Elect. Mauriti. Tit. Von Ordnung und Freyheit  
der Stadt rc. Wir ordnen und wollen auch, welche  
Städte auf Schrift sitzen, daß sie in dergleichen Sachen, die Policey belangen, Ordnung  
aufricht, und die alten Ordnung wieder erneuern,  
doch in alle Wege uns der Veränderung oder Ver-  
besserung vorbehalten. Corp. Nov. Sax. p. 31. quod  
ex paritate rationis etiam ad Nobiles Schriftstasios  
extenditur, quibus oppida sunt subjecta, vel sal-  
tem ejusmodi loca, in quibus statuta locum habe-  
re possunt; immunitatis enim & hujus privilegii  
ratio ea videtur, quod Schriftstasios plerumque  
etiam concessa sit jurisdictio omnimoda, atqui ju-  
risdictionis omnimodæ effectum esse jus statuta  
faciendi Heig. P. I. qu. 23. n. 31. Ziegl. ad Calvol.  
q. Civitas. concl. 1. n. 28. 30. Sed an hæc Statuta  
absque Domini Territorialis confirmatione va-  
leant, disputant Dd. Quidam illud simpliciter  
affirmant, cum quibus & Heigius & Zieglerus fa-  
ciunt, tandem vero concludunt, consultius & tu-  
tius esse super statutis requirere adsensum & confir-  
mationem Principis, Dn. Carpz. autem omnino  
id necessarium existimat, tum propter observan-  
tiā, tum propter rationem juris, quia Jus Statu-  
ta faciendi pertineat ad Superioritatem, Proc. Civ.*

*Tit.*

*Tit. II. A. II. in fin.* Sed fortassis magis **Confirmatio** & causæ cognitio, vel æquitatis arbitrium si nimirum quid injusti contineant eo spectat, quod & ex eo liquet, quia Princeps sibi reservavit potestatem mutandi & augendi.

III. Gaudent Schriftlassii Jurisdictione in feudo suo & super subditos eo pertinentes, eorumque fundos. Cum vero etiam Ambtsassii non omni destituantur jurisdictione, igitur ut prærogativam habeant Schriftlassii, plerumque etiam jurisdictione superiori, mit den Ober-Gerichten sunt ornati, Generol. Dn. à Seckendorff. Deutscher Fürsten-Staat. Part. 1. C. 4. §. 3. Et hoc quoad Schriftassios Veteres perpetuum est, de aliis autem ex observantia & literis concessionis, ut *supra Cap. III.* monui, judicandum, conf. prælaud. Dn. à Seckendorff. Deutsch. Fürst. Staat. Addit. ad *Cap. IX.*

In hoc etiam IV. constituerunt Schriftassiorum prærogativam, quod à satisfactione immunes essent, Amtassios autem satisdare teneri, si Schriftassium peterent coram Tribunal. Zieg! ad *Cal. vol. S. Schriftassii, conclus. 2. n. 2.* Berlich. 1. *conclus. 20. 5. & seqq.* Sed cum hæc sententia correcta & abrogata sit, N. G. O. Tit. 13. Carpzov. Proc.

\* ) 30 ( \*

*Civ. Tit. II. Art. II. num. 171. plura addere supervacuum est.*

Interpretatio autem concessæ Schriftlassitatis est stricti juris, adeoque non extendenda: Quamvis enim alicui concessa sit Schriftlassitas, cuius subditi servitutem debent Præfecturæ, is licet quoad jurisdictionem exemptus est præfectoriali potestati, nequaquam tamen quoad servitia subditorum, ut patet ex *Novissimis Resolutionibus de Anno 1661. p. 89. & iis, quia Cap. III. jam dicta, diversa enim sunt Schriftlassitas & servitia Præfectoris debita, nec ab uno ad alterum argumentari licet. Thür- und Fürstl. Sächsis. Haupt-Bergleich, §. XV. n. 5. ubi etiam de Processu in puncto litigiorum Schriftlassitatis agitur num. 8. Et tantum in præsentia de Schriftlassis; Si quid minus accurate dictum vel in hac confusa & dubia materia erratum sit, meliorem informationem & veniam homo ab homine spero.*

SOLI DEO GLORIA.




Dum

\* ) 31 ( \*

Dum meritos confert sacrata Themistis ho-  
nores,  
mille alii laudes votaque mille ferant,  
Augeat ut coepitos supremum Numen honores,  
non ego vota TIBI sed dabo vota DEO.

Honoris & benevolentia  
causa f.

Christoph. Phil. Richter. D.  
C. P. C. P. Collegg. Jurr. Ordin.



A rtem & virtutem sequitur benegloria vivax :  
Augescat, voveo, lausque decusque Tuum !

Præclarissimo Domino DOCTORANDO  
Fautori & Amico in honorem  
scrib.

Georgius Adamus Struve, D.

F I N I S.



## Geotrigas Agathinae Schubae, D.

## ЗИЧ



Jena, DISS., 1667 Schr-Z



f

Sb.

Wm





DISSERTATIO IVRIDICA INAVGVRALIS,  
DE  
**SCHRIFT SASSIIS.**

## GERMANIS

# Vom Ursprung, Recht, Freyheit und Gerichtsbarkeit der Schriftsassen / auch dem Unterscheid zwischen den Amtsassen.

Q V A M  
S V B P R A E S I D I O  
ILLVSTRIS NOMINIS IENENSIS ICTI  
**GEORGII ADAMI STRUVII,**  
HAEREDITARII IN Ulßtadt,  
P R O L I C E N T I A  
S V M M O S I N V T R O Q V E I V R E H O N O R E S D O C T O R A L I A  
M O R E M A I O R V M C A P E S S E N D I ,  
E R V D I T O R V M E X A M I N I S V B I E C I T  
**ANDREAS FRAVENDORFF,**  
N U M B V R G E N S I S ,  
A . O . R . C I D I C L X V I I . D I E X X I X . I V L I I .



NVNC VERO OB ARGVMENTI GRAVITATEM AC UTILITATEM

I E N A E,  
REC. LITTERIS IO. BERNH. HELLERI, 1748